

consuetudine in 6, docentque auctores (1). Plures etiam asserunt, consuetudine vel præscriptione passim introductum esse, ut Episcopi in plerisque casibus sine consilio vel consensu capituli procedere valeant (2). Quinimo Lambertinus (3) censem hodie dici posse, titulum juris *De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli*, recessisse ab aula, cum Episcopi fere omnia expediant sine consensu capituli (4). Hoc autem putat Pichler (5) non ita universaliter verum esse.

CAPUT XVI.

DE VARIO RESPECTU EPISCOPUM INTER ET CAPITULUM.

§ 1. *De Episcopo erga capitulum.*

Episcopus jus habet in capitulum, et capitulum obligatur erga Episcopum. Maxime etiam interest, hoc jus hancque obligationem bene cognoscere et discernere, ne indebita exigantur, aut debita recusentur.

I. « Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; iisque in choro, et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes, et locus, quem ipsi elegi- rent, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. » Ita statuit Concilium Tridentinum sess. 25, cap. VI de reformat. quoad capitula exempta. Si autem in illis is honor Episcopis tribuendus sit, non minor in capitulis non exemptis et ubique per totam diœcesim tribuendus erit.

Episcopus jus habet, ut canonici eum associent, eique assistant,

(1) Stephanus Gratianus *discept. forens cap. 100, num. ult.* Zerola in *prax. Episc. part. 1, verb. capitulum num. 8*; Barbosa *de canonicis cap. 42, num. 19*; Formosinus *de potest. capituli sede vac. tract. 2. quæst. 1, num. 4*; Item Andreucci n. 211 et 212; Schmitz *lib. I Decretal. tit. IV, q. III, R. 3*; Pirhinc *lib. III Decretal. tit. X, n. XV*; Lucius Ferraris, *Capitulum art. 2, n. 28*; De Angelis, *Prælect. jur. can. lib. III, tit. X.*

(2) Engel *lib. III Decretal. tit. X, n. 5*; Reiffenstuel *lib. III Decretal. tit. X, n. 27*, aliquie ab his citati.

(3) *De jure patronatus p. III, lib. II, q. 1, art. IV.*

(4) Reiffenstuel loco cit. Giraldi *expositio juris Pont. sect. 432.*

(5) Loco cit.

ut dictum est cap. XIII; ut duo canonici ei inserviant, ut deputentur pro administratione seminarii et pro casibus a Concilio Tridentino requisitis, ut dictum est cap. XIV, utque ei auxilium et consilium præstant, sicut explicatum est cap. XV.

II. Episcopus canonicos suos honorare debet. Canonici, ut scribit Molanus (1) ab Episcopo honorandi sunt ut membra episcopatus. Quod nemo mirabitur, canonicos dici membra episcopatus, qui meminerit canonicos ex primæva sua institutione esse opitulares et cooperatores Episcopalis sollicitudinis. Unde a Patribus Concilii Tridentini monentur ea morum integritate pollere, ut merito Ecclesiæ senatus dici possint.

III. An et quomodo Episcopus jus habeat capitulum convocandi eique assistendi, dicetur, cap. XXXII, § 4 et 12.

Canonicos poenis et censuris cogere potest, ad sibi exhibendum libros, in quibus annotantur resolutiones, vel saltem copiam earumdem resolutionum seu actorum capitularium, ut pluries responsum fuit per S. Congregationem Episcoporum et regularium (2).

IV. Episcopus est caput capituli, ut dictum est cap. VI, § 1, et superior canonicorum, sicut et cleri totius dioecesis, adeoque capitulo et canonicis legitime præcipere et mandare potest. Forum competens capituli est tribunal Episcopi. Si capitulum sit exemptum et Sedi Apostolice immediate subjectum, servanda est forma judicij a Concilio Tridentino sess. 25, cap. VI de reform. præscripta; si autem capitulum exemptum non sit, ea forma adhibenda est, quæ instituitur juxta sacros canones cum quolibet clero, Episcopo immediate subjecto (3).

V. Episcopus capitulo et canonicis præcipere et mandare potest ea omnia, quæ ratione status clericalis, officii et beneficii præstanda sunt juxta sacros canones, conciliorum sanctiones vel sacrarum Congregationum declarationes, minime etiam obstante juramento ab Episcopo præstito de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis atque libertatibus ecclesiæ suæ (4): ulterius autem quidquam mandare non potest.

(1) *De canonicis lib. 2, c. 2.*

(2) Barbosa *de canonicis cap. 35, n. 6*; decision. Rot. XXV, n. 1 in 1 p. Scarfantonii; Bouix *de capitulis p. 3, cap. 1, § 5*; Craisson n. 2300.

(3) Andreucci n. 60 et 61; Bouix loco cit. § VI. Vid. cap. XV, § 6 ad 7.

(4) S. C. C. 3 Nov. 1623, apud Muhlbauer *Decreta Auth. Visitatio*, n. 11.

Probatur ex lib. 1. Decretal. tit. XXXI de officio judicis ordinarii cap. XVI. Conquerente, ubi assignantur et enumerantur iura Ordinarii supra ecclesias sibi subjectas : item ex ratione, quia Episcopus habet in sua dioecesi potestatem jurisdictionis non solum in singulos clericos, sed in ipsum capitulum cathedralis, cuius si quæ olim fuerit exceptio sublata est per decretum Concilii Tridentini sess. 6, cap. 4 de ref. (1).

Inde dēducitur Episcopum ratione status clericalis canonici mandare posse, ut vestitu decente tam in ecclesia quam extra eam assidue utantur, ut ab illicitis venationibus, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, ut rubricas calleant easque obseruent, etc. (2).

Ratione officii, ut choro intersint; cantum Gregorianum discant; ut omnes indifferenter choro inserviant omnibus diebus dominicis ac festis de præcepto, totoque adventus, quadragesimæ et octavæ Corporis Christi tempore, ita ut nullus non legitime impeditus per id tempus vacet; ut omnibus aliis diebus saltem dimidia pars capitularium choro adsit; ut omnes septem horæ canonicae in choro persolvantur; ut canonici officia divina per se et non per substitutos obeant; ut servetur ordo, et tempus ab Ecclesia statutum in publica horarum recitatione (3); ut officium cantetur in diebus solemnibus; ut qui in dominicis cantavit missam, cantet et vespertas (4).

Ratione beneficii, ut capitulum indicatur, quando Episcopus canonici aliquid vult proponere; ut capitulum celebretur statutis diebus; ut canonici intersint concioni tempore adventus et quadragesimæ, publicis processionibus etc. (5).

Quod autem Episcopus ultra ea, ad quæ canonici de jure tenentur, quidquam mandare nequeat, probatur ex eodm cap. Conquerente, ubi Pontifex ait : *Tu his juribus contentus, non amplius ab eis exigas;* et cap. Quia cognovimus causa 10, quæst. 3, can. VI, ubi præcipitur, ut Episcopi nil exigant ultra morem antiquum a sacris canonibus præscriptum. Accedit auctoritas Fagnani (6) asserentis ex Abbatे ibidem, Episcopos non posse exigere a clericis-

(1) Andreucci n. 52.

(2) Andreucci n. 53.

(3) Andreucci n. 54.

(4) R. R. C. 25 Jan. 1603, *Aesina*, et 22 Nov. 1653, *Signina*.

(5) Andreucci n. 55 et seq.

(6) In 2 p. 1 Decretal. de off. Jud. ordin. cap. Conquerente.

suaæ Dioecesis aliqua servitia, quæ in jure non sunt expressa : ratio est, quia jurisdictione Episcopi dependet a Summo Pontifice in assignatione materiæ et subditorum ; Summus autem Pontifex in citato cap. Conquerente assignavit materiam, in quam Episcopi suam debent exercere jurisdictionem : unde notat Fagnanus in citato cap. Conquerente decisum olim fuisse a S. Card. Congregatione, quod quidam Episcopus potuerit quidem invitare, sed non compellere clericos suæ civitatis, ut interessent litaniis B. M. V. quas in sabbato decantari jussérat in sua Cathedrali ecclesia. In dubio tamen, an aliquid possit mandari ab Episcopo, præsumptio semper pro mandato Episcopi facienda est ex communi theologorum et canonistarum sententia (1).

Unde Episcopus introducere non potest usus contra cærimoniale Episcoporum (2); neque permittare tabellam in persolvendo officio divino et canendis lamentationibus et lectionibus matutini tenebrarum, fieri solitam ab Archidiacono (3); neque alium eligere in rectorem chori sub prætextu, quod chorus non recte gubernetur, absque expressa licentia Sedis Apostolicæ (4).

VI. Episcopus gaudet jure, canonicos inobedientes et delinquentes admonendi, corrigendi et etiam puniendi poena punctatarum seu subtractione distributionum, et etiam sub censuris (5). Jus corrigendi et multandi leves et minores excessus capitulo competere potest, ut § sequente dicetur; graviorum autem cognitio et punitio ad solum Episcopum spectat (6).

VII. Episcopus jus habet, visitandi ecclesiam cathedralem ejusque capitulum : statuit enim Concilium Tridentinum sess. VI, cap. IV, de reform. « Capitula cathedralium, et aliarum majorum » ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consue- « tudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos » obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo « minus a suis Episcopis, et aliis majoribus prælatis, per se ipsos » solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas

(1) Ita Andreucci n. 52.

(2) S. R. C. 13 Mart. 1700 *Archipæ*, 6 et 11.

(3) S. R. C. 2 Oct. 1694, *Aprutina*, 3.

(4) S. R. C. 7 Aug. et 20 Nov. 1628, *Iserniæ et Andrien*.

(5) Conc. Trid. sess. 6 et 14, cap. IV de reform.; Lib. 1, Decretal. tit. XXXI de officio jud. ordin. c. XIII *Irrefragabili*; Scarfantonius lib. IV, tit. XII, n. 23-28; Andreucci n. 62-65; Craisson n. 2304-2306.

(6) Decis. Rot. 47 in 1, p. Scarfontoni, n. 3 et 4.

„sanctiones, toties, quoties opus fierit, visitari, corrigi, et emen-
dari etiam auctoritate Apostolica, possint et valeant“ (1).

1. Episcopus, ut liquet, hoc jure visitandi potitur, sive capitulum sit exemptum sive non; et visitare potest, non tantum ecclesiam et capitulum, sed etiam illorum personas, quas cogere potest, ad se subjiciendum visitationi personali (2).

2. Hæc Episcoporum potestas visitandi præ cæteris cathedralem ecclesiam transit in necessitatem, et est de præcepto (3). Episcopo autem, legitimo concurrente impedimento, alium ad visitationem istam peragendam deputare licet (4).

3. Hæc visitatio ecclesiæ cathedralis extenditur ad capellas sive ecclesias eidem cathedrali annexas, quæ sequuntur naturam principalis; et comprehendit administrationem reddituum non tantum canonorum, sed et beneficiorum et fabricæ ecclesiæ, uti censuit S. C. Congregatio (5).

Quæ in visitatione inquirenda sint videri possunt apud Monacell. tom. 1, in append. in fine et tom. 4 supplem. ad tom. 1 post n. 267, et apud Muhlbauer Decreta auth. *visitatio* n. 11; et praxis visitationis ecclesiæ cath. in praxi Episcopali Pauli Piasecii p. 2, cap. III, n. 5, etc.

4. Episcopus potest occasione dictæ visitationis sibi facere deferri libros capitulares, in quibus apparent administrationes tam reddituum capituli, quam aliorum piorum operum, eisdem incumbentium, ad proprium palatum, absque eo quod teneatur ipse accedere ad aulam capitularem ad revidendos libros dictarum administrationum, ut plene decrevit *Rota in Hispalen. Visitacionis 30 Aprilis 1700 et 25 Nov. 1701, cor. Molines*; ita ut, si canonici renuerent obtemperare mandatis Episcopi demandantis transportationem librorum ad suum Episcopale palatum, posset contra eos per censuras procedere. Episcopi pariter non tenentur per se incumbere dictæ revisioni, sed etiam possunt id explore per personas sibi bene visas, et etiam in hoc casu demandare eamdem asportationem librorum ad suum Episcopale palatum, ut plene firmavit eadem *Rota in d. Hispalen. 25 Nov. 1701* (6).

(1) Vid. etiam sess. 14 cap. IV, sess. 24, cap. III et sess. 25, cap. VI de reform.

(2) S. C. C. 18 Jul. 1705, *Aprutina*; Scarfantonius lib. IV, tit. IV, animad. 24.

(3) Scarfantonius cum aliis loco cit. animadv. 4.

(4) S. C. C. 29 Jan. 1701, dub. 1, *Portucallen*, apud Zamboni *Episcopus* § XXVIII, n. 4.

(5) Januarii 1590 *Segobricense*, X et XI.

(6) Ita Scarfantonius lib. IV, tit. IV, animadv. 15-21.

VIII. Regimen et administratio ecclesiæ cathedralis ejusque bonorum pertinet simul ad Episcopum et capitulum ex juris dispositione et receptissima doctorum sententia (1). Quamobrem fundationes missarum et anniversariorum, cum respiciant administrationem et regimen ecclesiæ, recipienda sunt cum simultaneo consensu Episcopi et capituli (2). Unde in regimine et administratione ecclesiæ cathedralis nec Episcopus sine consensu capituli, nec capitulum sine consensu Episcopi aliquid statuere, aut mutuo consensu statuta mutare potest (3). In his autem locis attendendæ etiam sunt leges civiles, quibus gubernium hanc administrationem in pluribus ordinat: istas leges Episcopi, canonici et clerici ex necessitate servare coguntur; his autem tantum deferri non licet, quasi solæ servandæ forent, et leges ecclesiæ cessarent: hæ enim, istis non obstantibus, subsistunt, et in quantum possunt, semper servandæ sunt.

Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ ecclesiæ cathedralis rationem administrationis Ordinario singulis annis reddere tenentur (4).

IX. Ad tuendam pacem et concordiam inter Episcopum et capitulum A. H. Andreucci plura necessaria et valde utilia proponit p. 1, cap. IV; p. 2, cap. I, et p. 4, cap. V, ex quibus selecta sunt sequentia.

1. Proderit, nihil sine magna discretione innovare, nec veteres consuetudines de facili abolere: nam ut docet S. Augustinus ep. 128. *Ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, quia ut notavit Cæsar lib. 6 de bello Gall. *Nemo est tam fortis, qui rei novitate non turbetur*. Hinc Honorius III cap. *Cum consuetudinis*, scribens capitulo Parisiensi monet, quod *plerumque discordiam pariant noritates*. Itaque Episcopus ea plerumque sententia dirigatur, quam olim S. Stephanus Papa rescripsit S. Cypriano: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*.

Advertendum tamen est primo, consuetudines aliquas non tam

(1) Lib. III Decretal. tit. X, cap. IV, *Novit*, et V, *Quanto*; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 3 et seq. Decision. S. Rot. in 1 p. Scarfantonii XXIX n. I; Bouix de capitulis p. IV, cap. IV, § 2 prop. 7 et 8.

(2) Scarfantonius ibidem n. 3.

(3) Bouix loco cit. prop. 8.

(4) Conc. Trid. sess. XXII, cap. IX de ref. S. C. C. 1 Mart. 1738, *Neritonen*, apud Zamboni *capitulum eccl.* § III, n. 47.

esse consuetudines, quam corruptelas et abusus, easque propterea esse corrigendas vel auferendas: quare nec capitulo nec cuiquam alteri molestum esse debet, si Episcopus id faciat.

Advertendum secundo, quædam accusari novitatis, quæ sunt perantiqua, et injuria temporum vel hominum incuria in desuetudinem abierunt. Hæc porro in usum revocare, non raro sanctum ac pium est, sed sæpius etiam necessarium.

Advertendum demum tertio, ac potissimum cavendum quidem Episcopo a facilitate innovandi, non tamen illi esse recedendum ab omni omnino novitate. Nam aliquando bono ecclesiæ ac religionis expedit, ut statuta quædam antiqua mutentur, et nova decernantur: quod quidem ex S. Th. 1, 2, q. 97 art. 2, continget, vel ex hoc, quod aliqua maxima et evidentissima utilitas ex novo statuto proveniat, vel ex hoc, quod antiquæ legis ususque observatio sit hic et nunc plurimum nociva.

2. Proderit etiam ad tuendam pacem, si Episcopus nihil temere et sine maturo consilio agat. Antequam quidquam mandet aut exequatur, viros peritos consulat, et si non adsint, quorum consilio fidere possit, scribat, si tempus patiatur, ad absentes.

3. Valde ad pacem conferet, si Episcopus in rebus statuendis, etiamsi non teneatur, tamen sui capituli consilium adhibere non respuat. Profecto id Cardinali Bellarmino Archiepiscopo Capuano causæ fuit, cur ipso regente omnia non solum summa concordia, sed uno eodemque spiritu ductuque agi viderentur. Mira semper fuit consensio inter Episcopum et capitulum, ita ut mutuis decertarent officiis, et quo plus sibi credi, quo liberalius se tractari videbat capitulum; eo libentius, ne videlicet humanitate vinceretur, in propositi ab Archiepiscopo negotii procuratione promptum ac studiosum se exhibebat.

§ 2. De capitulo seu canonicis erga Episcopum.

1. Quia Canonici ex primæva sua institutione sunt consiliarii, senatores et cooperatores Episcopi, ad præbendas vocati, ut Episcopos suos officio et opera juvent; facile intelligitur quales sese vicissim debeant erga Antistites suos exhibere... Canonici quam maxime paci studeant, ne aliorum offensionem incurant, et nominis sui dignitatem altercatione dehonestent... Meminerint Antistitem suum esse patrem patrum, et ut in constitutionibus Clementis

legitur. ipsum exemplar Dei apud omnes homines repræsentare, præsidendo omnibus hominibus, sacerdotibus, regibus, magistris, parentibus, filiis, et pariter cunctis subditis (1).

Capitulum Episcopo debet reverentiam, in deferendo illi signa honoris, quæ Episcopo adeo sunt debita, ut canonici quamvis exempti ea minime denegare possint; et etiam obedientiam, in iis quæ Episcopus potest mandare et de facto mandat, atque in abstinentia ab iis, quæ Episcopus potest prohibere, et de facto prohibet, ut § præc. ad V, dictum est (2), nec non in adjuvando in diœcesis administratione; et propterea canonici recusare non possunt delegationem causarum ac alia officia necessaria pro tribunali Episcopi (3).

II. Capitulum tamen sua etiam jura habet, v. g. ut Episcopus ejus consensum aut consilium exquirat, ut dictum est cap. XV.

Quoad synodum diœcesanam, certum est, Episcopum eamdem libere convocare posse absque consilio aut consensu capituli (4); ad diœcesanam tamen synodum canonici ecclesiæ cathedralis juxta præsentem disciplinam invitandi sunt (5); et licet aliqui affirment, canonicos cogi non posse, ut synodo intersint, nisi agendum sit de negotiis ad eos pertinentibus, aut de rebus, in quibus ab Episcopo consilium capituli est exquirendum; attamen sententia opposita, obstringens canonicos cathedralis ad interveniendum synodo, saltem per aliquot e capituli gremio deputatos, magis recepta est apud doctores, et usu comprobata, quia censemur constituti in quadam quasi dignitate, comparanda cum prioribus et decanis, quos semper ad synodum adactos vidimus: et quia nunquam accidit, ut in synodo non tractetur de horis canonicis rite persolvendis, de cleri moribus reformatiis, de restauranda ecclesiastica disciplina, cæterisque, quæ ipsos quoque canonicos respiciant; in quo rerum eventu, omnes doctores consentiunt, non licere canonicis se a synodo excusare (6). Quoad statuta et constitutiones synodales consilium capituli adhibendum est, ut dictum est cap. XV, § 6 ad 6. Solius autem Episcopi est, synodales constitutiones sua firmare

(1) Ita Molanus de canonicis lib. 2, c. III.

(2) Andreucci n. 37 et 51.

(3) Scarfantonius, lib. IV, tit. XVI, n. 51-53.

(4) S. C. C. 17 Maij 1599 in *Oriolensis*, et 1639 in *Fulgnatensi*; Bouix de capitulis p. IV, c. V.

(5) Bened. XIV de Syn. lib. III, cap. IV, n. II, cum communi.

(6) Ita Bened. XIV loco cit.